



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Onvphrivs Anachor. 12. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

conscientiæ tuæ Moderatorem, ut rectiorem tibi ac tutiorem salutis viam aperiat, à quâ nunquam discedas.

3. Sanctos imitare, qui eandem tenuerunt vivendi rationem: sed unum inprimis, quasi prototypum, tibi propone, quem invocabis, & pro virili studebis imitari: quodlibet vitæ genus Sanctos habet, etiamnum viventes, hos etiam imitare: compara vitam tuam cum eorum vitâ. Cœlum petimus: Cœlum speramus: ubi nimirum est noster thesaurus: sit ibi ergo cor nostrum, ubi volumus habere thesaurum nostrum. Tert.

## S. ONUPHRIUS ANACHOR.

12. Junii.

*Non diligamus verbo; neque linguâ,  
sed opere & veritate.* Joan. cap. 1.

**O**NUPHRIUM toto hirsutum corpore & Orara humani cultûs retinentem vestigia, poterat sanè silvarum monstris, & Satyrorum generi accensere Paphnutius, si in externa specie substitisset. At ubi gressus, vitæ genus, moresque didicit, dubitavit, hominemne potius, an Angelum diceret. In Thebana regione Monachum indutus, cum

de



de Anachoretis fando accepisset, egressus in loca sola Angelum vitz comitem habuit. Nactus deinde novi instituti Magistrum, in tugurium palmâ inumbratum deductus. Inde illi cibus, menstruo proventu; panē & aquam Angelus afferebat quotidianus minister octavo quoque die, ut delicatius vesceretur, is quoque, quem propriè Angelorum panem appellamus, majore pompâ, & debitâ Numini est advectus. Et potuit, credo, Onuphrius hac coelitem amicitia beatus, hominum oblivisci: certè sepruaginta totos annos mortalem non vidit, donec quem nominavit, Paphnutius Dei jussu, moriturum invisit, ut è silvarum latebris tam rara virtus eo præcone protraheretur in lucem. Mortuo Angeli cecinere Lessum: Palmâ & casa quasi desiderio viri, & alium quemcunque Dominum indignantes protubuerunt, Quid ad hæc nostra Juventus, moribus juxta capillisque luxuriantibus in Nabuchodonosorem citius, quàm Onuphrium degeneratura? *Ex. vii. pp.*

## MEDITATIO

*De sancto Amore sui ipsius.*

1. **E**X charitatis lege amare te, non odisse debes.

D d

bes.



des. Site verè amares, num tibi quæreres bono-  
rum Maximum? Quodnam autem bonum majus,  
& animæ tuæ convenientius, quàm divinæ primùm  
gratiæ, tum gloriæ æternæ possessio? ipse es tyranno  
crudelior, cum mortale aut veniale peccatum com-  
mittis, æternis, vel temporaneis ignibus expian-  
dum. An nescis, martyrum supplicia nihil esse ad  
ignes Purgatorios, qui te manent vel propter u-  
num veniale peccatum?

2. Corpus tuum si amaveris, dabis operam, ut  
debito obsequio unâ cum animâ in partem veniat  
æternæ felicitatis. Patiatur necesse est, ut eam con-  
sequatur. In laboribus Christi causâ susceptis, &  
doloribus corpus deberet exultare. Si verè te amo  
meum corpus, efficiam, ut multa pro Christo pa-  
tiaris; etenim multa merces corpori præparatur,  
quod multum passum fuerit. *Gloriabitur Christianum  
in carne, sed cum propter Christum lacerata duraverit.*  
Tert.

3. Certè parùm te amas: diligis voluptates, divi-  
tias, famam; sed neque corpus neque animam tua  
am amas; diligis itidem parentes, quorum consu-  
lis saluti, dum tuam negligis. Ah! si verè te ama-  
res, nullum detrectares laborem, ut corpus &  
anima tua æterno gaudio potirentur. *Non  
recusabitur labor, ubi amor est; quoniam  
qui amat, non laborat. Aug.*

S. ANTO.